



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

29. Am qui approbat abortum iam factum etiam suo nomine, incidat in
pœnas latas à Sixto V.? Idem dicendum est de casu abortus per
Episcopum reservato. Et an mulier incidat in casum reservatum, cui ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. XXVIII.

An supradictis excusetur à censura, si in illis adsit ignorantia juris, vel facti etiam si sit crassa, supina, & affectata, modo cum ingenti temeritate conjuncta non sit? Ex p. 7. tit. 5. Ref. 11.

Sup. his ignorantis superius in tr. 1. latè in Ref. 36. per tot. & in multis aliis Ref. & §§. ejus annotationum.

§. 1. **R**espondeo affirmativè, quia Sixtus V. in sua Bulla appositam particulam, *scilicet*, quæ omnem excludit ignorantiam, nisi sit conjuncta cum ingenti temeritate. Vnde me citato, rectè Trullench in *Decal. tom. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 9. §. 5. n. 21*. sic asserit: Quinto deducitur eximi ab hac censura eum qui ignorantia, quantumvis crassa, & lata culpa, immò & affectata ignorantia, nisi adsit ingens temeritas, legat, teneat, imprimat, vel defendat prædictos libros; quia Bullæ clausula petit, *scilicet* hæc fieri, quando scientia petitur, excusat quævis ignorantia, nisi ingens sit temeritas. Ita ille.

2. Et ideo non deferam hic apponere verba Mazuchelli *tract. de cal. reserv. disp. 1. q. 4. §. 10. n. 133*, ubi sic ait: Respondeo ignorantiam etiam affectatam excusare ab hac censura incurrenda, dummodo non adsit ingens temeritas, qualis intercedit cum quis vehementem habet suspicionem delicti prohibiti. Et probatur, quia Confessor cum hac ignorantia absolvendo verè, & propriè non dicitur audere absolvere. Tum quia quæ ignorantia excusat à pœna imposita scienter aliquid facienti, eadem excusat à pœna imposita audienti aliquid facere, ut patet ex dictis. Atqui ignorantia etiam affectata in sententia Sanchez excusat à pœna imposita scienter aliquid facienti. Ergo, &c. Hinc est ut Bonac. *disp. 2. de excom. in partic. extra Bullam Cœna, q. 2. pun. 8. n. 17*. explicans censuram latam contra contrahentes matrimonium in casibus prohibitis in *Clem. unic. de consang.* dicat probabiliter sustineri posse, ignorantiam etiam affectatam excusare ab ea incurrenda; cuius ratio est, quia habens ignorantiam affectatam non dicitur re ipsa scienter contrahere. Idemque docet inferius, puncto videlicet 19. in explicatione censuræ latæ contra præsumptos violare libertatem Ecclesiasticam circa electiones, ubi ait ignorantiam etiam affectatam excusare ab hac censura incurrenda; cum in textu dicatur (grave præsumunt.) Idemque habet alibi passim.

3. Dixi in responsione, dummodo non adsit ingens temeritas: tunc enim ignorantia nullo modo excusaret, licet pœna fuisset imposita contra scienter aliquid facientes, seu contra præsumptos, vel certè audentes facere. Et ratio est, quia ignorantia hæc importaret latissimam culpam, & dolo æquiparetur. Hucusque Mazuchellus. Quæ omnia faciunt ad confirmandam nostram responsionem, quam latè probat Sanchez in *sum. tom. 1. lib. 2. c. 10. n. 38. & de Matrim. lib. 9. disp. 32. num. 36. & 39.*

4. Et ita affirmativè in terminis ad casum præsentis Resol. mecum respondet Bonac. *to. 3. disp. 2. q. 2. pun. 10. n. 10*, ubi sic asserit: Dubium est utrum præbens opem, consilium, vel favorem, vel potionem, ab hac censura eximatur, quoties hæc præstat ex ignorantia juris, vel facti? Respondeo affirmativè, etiam si ignorantia non sit probabilis, sed vincibilis, crassa, supina, vel etiam affectata, modò cum ingenti temeritate conjuncta non sit: Summus enim Pontifex adjecit particulam, *scilicet*, quæ quamlibet ignorantiam excludit, modò cum ingenti temeritate conjuncta non sit, ut alibi sæpius dictum est. Et ideo præter Doctores citatos hanc sententiam, docet post hæc scripta visus noster P. Alphonsus de Leone de *Cens. Recoll. 7. n. 38.*

RESOL. XXIX.

An qui approbat abortum jam factum etiam suo nomine incidat in pœnas latas à Sixto V? Idem dicendum est de casu abortus per Episcopum reservato.

Et an mulier incidat in casum reservatum, cui inficit, & ignoranti amator medicamentum, & potionem tribuit, ut abortus sequeretur, etiam si post sumptionem potionis rem illi amator aperiret, & ipsa subito gauderet, atque illud ratum haberet?

Idem dicendum est, etiam si postquam fuerit monita, de procuratore abortus, illum nollet impedire, cum tamen posset. Ex p. 7. tit. 5. Ref. 14.

§. 1. **R**espondeo negativè, & ita docet Zambel. *lus in Reper. mor. ver. Abortus, num. 1. ubi sic ait: Abortum approbans post factum etiam suo nomine non est irregularis, at si ante executionem approbavit, in pœnas Sixtianas incurrit. Ita ille, cui addit Novatium in *sum. Bull. tom. 2. tit. de Abortu, num. 24. c. 3. q. 3. n. 40*. asserit, in casum reservatum non incidere mulierem, cui inficit & ignoranti amator medicamentum, & potionem præbuerit, ut abortus sequeretur. Et ratio est, quia non dicitur procurasse, etiam si post sumptionem potionis rem illi amator aperiret, & ipsa subito gauderet, atque illud ratum haberet; ea enim necdum esset dicenda procurasse, proindeque mortaliter tantum peccasse. Ita Floronus p. 2. casu de procurantibus abortum, n. 14. vers. 13. excipitur.*

2. Ad hoc idem esse dicendum, etiam si postquam fuisset monita de procuratore abortus, illum nollet impedire, cum tamen posset; adhuc enim non diceretur incidere in casum, utpote quæ non diceretur abortum procurare, sed illum tantum permittere.

RESOL. XXX.

An amarus teneatur impedire feminam, ne abortitur, & aliter in censuram, & irregularitatem incurrat?

Et an Clericus, qui sciens mulierem à se pregnantem redditam meditari concepta ab ea solvendi abortivum irregularitatem suscipiat, si hanc pro virili non impedit?

Et an pater, cui mater dixit se velle procurare abortum, si solum taceat, incurrit irregularitatem?

Et docetur patrem non teneri defendere vitam filiorum lege justitia, sed pietatis, & paterni officij. Ex p. 7. tit. 5. Ref. 18.

§. 1. **R**espondeo affirmativè Naldus, in *sum. ver. Abortus, n. 6*, ubi sic ait: Abortus reddit irregularem illum, à quo femina cōcepit, si hæc dicens, illi se velle abortum procurare, non fuit ab illo impedita, qui tenebatur ex iustitia eandem impedire; hoc asserunt quidam ex Avila, qui tamen hoc non dicit in loco, quæ citant, in meo Codice. Potest autem probari hoc ex illa ratione, quia ejusmodi fornicator videtur teneri fecerit illum in vita tuæ, tanquam ejus generationis causa; error autem, cui non resistitur approbatur iustitiam, & ex cap. significasti, & ibi scribentes, de homicidio, is dicitur reus homicidij, qui cum commodè potuisset, non impedivit alterius occisionem. Ita Naldus; locus verò Avilæ est in p. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 9. concl. 2. §. Sequitur quartò. Et hanc sententiam tenent alij, quos